



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De Metonymia & synecdoche. Cap. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

minuendam, inest quaedam vis; ut, Quid est, quod literulas quasdam tanti faciamus, ut alij nos esse antepone-dos putemus? & quid homunculi indignamur? Homonyma, quae equiuoca nuncupantur, sophistarum sunt, & Christiano oratori sunt fugienda, cum obscuritatis et errorum mater sit ambiguitas. Synonyma, hoc est, idem significatia, Poetae adhibent: quare non sunt certe laudandi nonnulli, qui copia synonymorum, opinionem eloquentiae aucupati sunt, & ea ratione in aures vulgi illabi studuerunt. Vetus nomina, etsi admirabilem magis efficiunt orationem, parcè tamen adhibenda sunt, nè affectata, dicenti opinionem minuant.

De Metonymia & synecdoche.

Cap. X.

METONYMIA vtütur Ecclesiastici oratores; qua continēs, pro eo, quod eo loco continetur, ponitur; ut si calum pro caliculis dicamus, terram pro terrestribus; cuius est insigne exemplū propheta: Terra, terra, audi verbum Domini. Vtütur etiam interdum synecdoche; ea praesertim, qua, ex ijs, q̄ rebus accidūt, res significantur, ut illud Esaiæ: Et constabūt gladios suos in vomeres et lāceas suas in falces, hoc enim paci consequēs est. Alia schematum & troporum genera quamplurima, ab oratoribus vsurpari consueuerūt, quibus splendet & illuminatur oratio: de his omittimus dicere, quoniam ad Grammaticorum peritiam pertinent; neq; etiam Latine cum scribamus, facile esset cōmuni, qua omnes vtimur, lingua figuras & ornamenta in medium ponere. Moneo huius libri lectorem, ut Grammaticam artem valdè vtilē,

lem, ac etiam oratori necessariam, non contemnat; praecepta, quae à pueritia didicit, ad usum reuocet: Grammatica utatur tanquam famula, ad animi sensa exprimenda bonos Grammaticos legat, imitatione & exercitatione stylum, qui est optimus dicendi effector & magister, alat. De numeris etiam, longum & superuacaneum arbitror agere. Christi nuncius, diuinae voluntatis interpres, in minimis non est occupandus; praeterquam quod in hoc satis bonum, & magni faciendum est aurium iudicium; quibus est consulendum, ne eodem semper sono feriantur; & ne nimium numerosa oratione utentes oratores, canere potius cantilenas, quam ad populum dicere, videantur: in quos illa verba accommodari possunt: Si loqueris, cantas: si cantas, malè cantas.

De figuris siue formis sententiarum.

Cap. XI.

CUM duo sint figurarum seu formarum genera, verborum nimirum, & sententiarum; cumque de figuris verborum, quantum subiecta materia postulare videbatur, egerimus, reliquum est, ut de figuris sententiarum, in quibus magna eloquentiae Ecclesiasticae pars, nempe, appositè dicendi ratio, constituta est, aliquid dicamus; quod eò minus alienum videtur, quod ea omnium linguarum generibus sunt communes. Est autem appositè dicere; cum ad docendum, tenue & subtile genus dicendi adhibetur, ad laudandum, equabile & temperatum, ad commouendum, flectendumque vehemens & incensum. Ille autem docens aliquid aut credendum, aut sperandum, aut timendum, aut vitandum, aut agendum,

apposi-